



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim
Consideratum

Gibert, Jean-Pierre

Coloniæ Allobrogum, 1735

Observ. in Cap. X. De Reconvensione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

tità ejectionis fuerit ab Actore; sed sufficere, ut alià quilibet ab ipso spoliatus fuerit. Licet ea non habeat locum in rebus Incorporalibus, qualia sunt Jura ad Beneficia, ad Decimas, aut similia; nihilominus, si Possessor actualis Ecclesia aut Capella, ab ipsa ejiciatur, eum esse in Casu hujus Exceptionis: eam adeò favorabilem esse, ut Invasor eà uti possit, si à possessione suà per vim ejectionis fuerit; si Possessor spoliatus præ omnibus restitui debeat, id fieri, quòd cum ejus Adversario eodem modo agendum sit, quo ipse cum Spoliato egit; & quia, si Adversarii rationes audirentur circa jus ipsius ad rem, ageretur de Petitorio tùm, cum agi debet solum de Possessorio. *vid. GONZALEM in Cap. 7. de Restitut. Spoliat. ubi fusè diserit de hac Exceptione, & statuit Principia, sine quibus vix intelligi possunt ea, quæ Autor dicit in hac Regula Prima: circa quam præterea, observandum est discrimen, quod inter Civile & Criminale Judicium ponit; nempe, in Judicio Civili, Spoliatum non posse restitutionem petere, nisi cum ab Actore spoliatus fuit: posse autem in Judicio Criminale, etiam si ab alio spoliatus fuerit.*

Regula Secunda exponit effectum hujus Exceptionis, qui est restitutio Spoliati in Possessionem, & non Manuentio plena, nisi hæc proposita fuerit per Reconventionem: hujus differentia rationem annotare debuisset Autor, nempe, Reconventio est actio, cuius finis est recuperatio rei detentæ, Exceptio autem spoliationis tendit ad recuperationem amissæ possessionis.

QUÆST. V. Exceptio petita à Satisfactione.

Quod dicit Autor, Actorem teneri ad Satisfacendum de contestandâ lite intrâ biennium, aut de restituendo duplo damni, quod inde patitur Reus, si ipse deficiat, abrogatum videtur. Quod adjicit, Actorem cavere debere de certâ Summâ Reo solvendâ, si deiciatur ab Actione, locum habet solum in quibusdam Casibus, qui varii sunt variis in Locis.

Abolvendo id, quod dicere instituerat circa Exceptiones Dilatorias, quæ præcedunt liti contestationem, indicare debuisset loca, in quibus loquitur de Exceptionibus, quæ illam sequuntur, & pertinent ad Actus Judicarios subsequentes, nempe ad probationes in genere, & in specie, nec non eas, quæ pertinent ad Contractus, vel Obligationes, & exponuntur *Lib. V. Cap. IX.* quaedam locum habent in Judiciis.

OBSERVATIONES in CAP. X. de RECONVENTIONE.

Quod Autor de Reconventionem dicit, & quod adficere debuisset, contineri potest in Definitione *Reconventionis*; hæc enim nihil aliud est, quam repetitio facta à Reo coram Judice Ordinario, vel Delegato, apud quem conventus est, pendente eadem Instantiâ, & quæ tendit ad compensationem: inde verò sequitur 1. Excommunicatum reconvenire non posse, quia non potest agere in Jure, 2. si is qui fundo quopiam v. gr. Tusculano, spoliatus fuit ab aliâ Personâ, quam alio fundo spoliaverat, ab eâ conveniatur ad restitutionem hujus fundi, potest & ipse eam reconvenire, ad repetitionem fundi Tusculani: namque agere potest, & hic compensatio locum habet, 3. Reconventio non obtinet in Judiciis apud Arbitros, quippe qui Judices, nec Ordinarii nec Delegati sint, & Jurisdictionem privatam duntaxat habeant inter Partes, cum Judices propriè dicti autoritatem publicam gerant. 4. Reconventio fieri nequit apud alium Judicem, quam eum, coram quo Reus conventus fuit. 5. Ea non habet locum apud Judicem appellationis, si omiſsa fuerit coram primo Judice, quia appellatio novam Instantiam instituit.

6. Fieri potest post liti contestationem, quia Instantiam hæc non claudit, sed potius inchoat: 7. Reconventio non habet locum in Judicio Criminale, extrâ ordinem informato, quia Judicium Criminale non vocatur Actio sed Accusatio. 8. Si Actor, qui Rescriptum Delegatorium impetravit, hoc Rescripto privetur jure Appellationis, Reconventio judicari debet Appellatione remota: nam Actoris & Rei par est conditio, & quod non licet uni, alteri quoque non licet: *Cap. 2. de mutuis petit. & Reg. 32. de Reg. Jur. in 6.* quæ locum habet in Reo perinde atque in Actore; cum nulla est ratio ex illius parte, quæ conditionem ejus meliorem faciat, quam Actoris; nulla est autem in Casu proposito; quippe æquum est, ut sicut Reo prodest Clausula, *appellatione remota*, cum secundum ipsum judicatum est, ita & ipsi noceat, cum damnatur. *Qui sentit commodum, debet sentire & incommodum.* GONZALEZ hoc Argumentum fusè exponit in *Cap. 1. de mutuis petit.* à quo hæc additiones desumpsimus, ad omissiones Autoris suppleendas. Observat, duplicem esse Reconventionis effectum 1. Jurisdictionem Judicis prorogat, cum unus tantum è Litigatoribus ipsi obnoxius est, quod operatur, modò fiat antè Judicium. 2. Unâ cum petitione Actoris discutitur, modò fiat ante contestationem liti. Ex his observationibus patet, *Cap. X.* suppleere ea, quæ defunt in V. circa Actorem & Reum.

OBSERVATIONES in CAP. XI. circa CONTESTATIONEM LITIS ET JURAMENTUM CALUMNIÆ.

REGULÆ III. Autoris circa Litis contestationem, sufficientem hujus Argumenti notionem non tradunt: nam docent duntaxat, 1. Eam fieri per petitionem & responſionem in Jure, 2. Eam adeò necessariam esse, ut sine ipsa Judicium nullum sit, nisi Judex ex Officio procedat, 3. Eam fieri debere intrâ viginti dies, 4. Responſionem Rei negativam esse debere, ita ut, si Actioni meram Exceptionem opponat, non sit contestatio, multominus, si mera positio sine petitione ab Actore proposita fuerit. Plures omittit Casus, in quibus necessaria non est contestatio; nempe, cum litigatur cum Pontifice *Cap. 1. de Transact.* cum agitur de Causis Summariis, quæ conficiendæ sunt simpliciter, & de plano, sine strepitu & forma Judicii *Clem. 2. de Verbor. signific.* ubi hi Casus enumerantur. Plures ejus effectus omittit, qui sunt, prorogare Jurisdictionem Judicis; prorogare jus Actoris, & quoad hoc, Præscriptionem interrumpere; rem litigiosam facere; constituere Possessorem, in malâ fide; facere Procuratorem Dominum liti, seu prorogare ejus facultatem.

Silet omninò circa Exceptiones, quæ liti Contestationem impediunt; nempe, rem judicatam, transactionem, solutionem, & circa eas, quæ hoc effectum carent *Cap. 1. de liti Contest. in 6.* GONZALEZ & FAGNANUS in *Cap. 1. de liti contestatione* diserunt de omnibus his, & similibus rebus omiſsis ab Autore. Posterior n. 55. tradit Definitionem *Positionis*, qua exponitur quidquid de illâ sciendum est; nempe, positio est simplex assertio facti, ad Causam pertinentis cum Juramento, & in Scriptis proposita, ut propter responſionem ab Adversario Judicis interroganti factam, alter ab obligatione probandi liberetur. Similiter legitur Definitio *Contestationis* cum ejus expositione n. 5. & seq. ipsa est fundamentum Litis, quam inchoat Actio proposita in Jure, & Rei responſio congrua subsequens.

Omnes Regulæ & Exceptiones ab Autore collectæ circa *Juramentum Calumniæ*, comprehendere possunt in Definitione illius Juramenti, dicendo, illud fieri ad asserendum, sibi persuasam esse justitiam Causam, quam vel suo nomine quis propugnat, vel alieno, tamquam Procurator, aut Advocatus, nullamque in